



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LXV. Notariatsinstrument über den Umfang des Fundus der Pfarrwohnung in Nauen, vom 16. März 1394.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

des Mondags darna met Silemiss. Anno domini M. CCC. XCIII. feria quarta proxima post dominicam Letare.

Nach einem Copialbuche im Brandenburger Domarchive.

LXIV. Bischöfliche Vereinigung der Kirche in Slabberndorf mit der in Markow, am 23. März 1393.

Nos Thidericus, dei et apostolice sedis gratia episcopus Brandenburgensis, recognoscimus in hiis scriptis, ad nostri notitiam plene pervenisse, quod ecclesia deserte ville Slabberstorp in terra Obule, nostre dyocesis miserabiliter extitit per latrones desolata et in sui altaris tabula contracta et asportata et alias quam plurimum violenter execrata in suisque redditibus et facultatibus nimium depauperata, quod ipsum sacerdotem sustinere non valeat. Ex ea quoque nonnulla latrocinia, furta et quam plurima maleficia ibidem vicinis et huic terre occurrebant et imminebant. Ea propter cum ad nostrum pastorale pertinet officium, animarum periculis, in quantum in nobis est, obviare et earum saluti providere, ecclesias quoque nostrarum civitatum et dyocesis ex hujusmodi vel aliis causis legitimis annectere et unire, de voluntate validorum famulorum, Michahelis, Petri et Nicolai, dictorum de Slabberstorp, ad quos jus patronatus dicte ecclesie dimoscitur pertinere, hujusmodi defectus, maleficia et dampna una nobiscum animadvertentium, ad divinum cultum ejusdem ecclesie et salutem animarum corporum defunctorum ibidem in cimiterio quiescentium reservandum, eandem ecclesiam cum omnibus et singulis suis pertinentiis, dummodo consensus illustris principis, domini nostri marchionis Brandenburgensis ad hoc gratiose accedat, unimus, annectimus, subicimus et in proprios usus tenore presentium concedimus pleno jure ecclesie in Markowe ita, quod earundem ecclesiarum sit deinceps unus et idem provisor seu plebanus vulgariter nuncupatus, qui in predicta ecclesia Slabberstorp, quam ex pecunia de campanis ibidem cedenda presentibus promittimus preposito Brandenburgensi edificare, celebret seu peragi faciet, si plebanus ibidem in posterum residebit, quater in anno missas et in ecclesia Markowe vigiliis singulis mensibus seu quatuor septimanis vigiliis dominica die de fero et feria secunda tunc proxime sequenti missas pro defunctis et in ecclesia cathedrali Brandenburgensi quater in anno vigiliis et missas pro defunctis singulis annis in memoriam felicis memorie dominorum marchionum Brandenburgensium, et ipsorum de Slabberstorp in ejus cimiterio sepulcorum, dum tamen ad hoc consensus dicti domini marchionis Brandenburg., ut premittitur, gratiose accedat, adhibito etiam ad premissa consensu capituli nostre ecclesie predictae. In evidens testim. etc. Datum Sejefer anno domini M. CCC. XCIII. dominica, qua in dei ecclesia cantatur: Judica me deus etc.

Nach dem Originale des Domkiste Brandenburg.

LXV. Notariatsinstrument über den Umfang des Fundus der Pfarrwohnung in Nauen, vom 16. März 1394.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, Indictione II, Pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Bonifacii divina providentia

pape noni anno quarto, XVI die mensis Martii, hora vesperarum vel quasi, in honorabilium virorum dominorum Hinrici Groten et Martini Rochow presbiterorum Canonicorum professorum ecclesie Brandenburgensis inspectorum et diffinitorum per venerabiles viros dominos Hentzonem prepositum et Capitulum ejusdem ecclesie Brandenburgensis ad instantiam providorum virorum Johannis Bredow et Hinrici Hoppenrode proconsulum et aliorum consulum opidi Nowen Brandenburgensis Diocesis ad infra scripta finienda et terminanda specialiter destinatum, et in mei Notarii publici subscripti testiumque infra scriptorum presentia, In curia dotali parochialis ecclesie in dicto opido Nowen penes locum, in quo sita et constructa est cloaca, honorabilis uir dominus Zabellus Polen presbiter, Canonicus professor dicte ecclesie Brandenburgensis, plebanus vulgariter nuncupatus ecclesie parochialis in presato opido Nowen, nomine huius parochie parte ex una et Matheus Postamp ac Nicolaus Selghow consules in eodem opido Nowen, nomine dictorum proconsulum et consulum aliorum eiusdem opidi Nowen, limites, fines ac terminos nec non confinia loca et edificia habentium parte ex altera personaliter constituti, ratione controversie pretextu eorundem limitum, finium et terminorum inter eos suborte, predictus dominus Zabellus Polen plebanus nomine dicte parochie sue locum, in quo sita et constructa ad usum et utilitatem sui et suorum est cloaca, infra limites fines et terminos Curie dotalis sepe dicte Parochie consistere, fore et esse, et se possidere ac se et suos predecessores nomine dicte parochie tanto tempore, cuius contrarii memoria non existit, inconcusse possedisse, lapidibus et liminibus fundamentalibus et aliis veris signis et probationibus legitimis coram predictis Hinrico Groten et Martino Rochow Canonicis inspectoribus et diffinitoribus legitime monstravit et probavit, dictis Matheo Postamp et Nicolao Selghow consulibus nomine dictorum proconsulum et consulum ac opidi Nowen personaliter presentibus, videntibus, audientibus et nihil contradicentibus, et idem dominus Zabellus Polen, plebanus nomine predicte parochie requisivit me notarium publicum subscriptum, ut super et de premisis unum vel plura conficerem publicum vel publica instrumentum et instrumenta. Acta et facta sunt hec anno Indictione, pontificatu, die, mense, hora et loco quibus supra, presentibus discretis viris dominis Johanne Fabri et Johanne Sartorius Presbiteris, Capellanis in sepe dicto opido Nowen et Johannes Barbe clerico nec non Johanne Olefiter, laico Brandenburgensis et Magdeburgensis Diocesis testibus ad premisa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Jafpar de Michile, clericus Brandenburg. Diocesis publicus imperiali auctoritate notarius etc.

Nach einem Copialbuche im Dom-Archive zu Brandenburg.

LXVI. Dem Pfarrer zu Nauen wird die Verleihung des Altars der Apostel Peter und Paulus gerichtlich zuerkannt, am 8. März 1395.

Jacobus de Wene — executor gratie Johannis Fabri de Moryn presbiteri Caminensis — subdeputatus — notum facimus, Quod in presentia nostra dictus Johannes Fabri personaliter constitutus Altare sanctorum Petri et Pauli situm in ecclesia sancti Jacobi parochiali opidi Nowen Brandenburgensis Diocesis sub gratia sua predicta cadere credens, et ipsius gratie vigore ipsum Altare se asserit acceptasse, et de eodem sibi prouisum fuisse, petens Instanter per nos decerni, ut ipsum Johannem